

MEMORIAM BORNIANAM

IN
AUDITORIO ICTORVM
SOLEMNI ORATIONE

D. XII. IVN. CICICCLVI

HORA IX
CELEBRANDAM
INDICVNT

ORDINARIUS
SENIOR AC RELIQVI FACVLTATIS
IVRIDICAE LIPSIENSIS ASSESSORES



*de fono in quo de possib.
ageundum*

ss. jur. civ.

11.3



Frustra est DONELLVS *commentar. iur. ciuil.*
L. XVII. c. 17. multis contendens, non so-
lum in foro rei sitae de possessione, vel pro-
prietate agi posse, sed etiam agi debere, si
reus ibi secum agi postulet: vt, quamuis
forte conueniatur, vbi domicilium habet, tamen, si velit,
recte reuocet in eum locum, vbi res sunt, de quarum pos-
sessione, aut proprietate agitur. Quod ad interdicta siue
remedia attinet possessoria, sine caussa is prouocat ad *l. vn.*
C. vbi de poss. ag. oport. nec non ad *l. vn.* *C. vbi d. haeredit.*
agit. Evidem vbi aut vis facta dicitur, aut momentaria
postulanda est possessio, ibi loci iudicem aduersus eum, qui
possessionem turbauit, iudicare conuenit: verba sunt Im-
peratorum in *d. l. vn.* *C. vbi de possess.* Enim vero his ver-
bis tantum aliud forum speciale, neutiquam forum generale
domicilii excluditur. MENCKEN *d. for. compet. vasallor.*
simultaneaque inuestitor. *Sect. III. §. 14.* Pari ratione *SE-*
VERVS et *ANTONINVS* in *l. 1.* *C. vbi de crimin. ag.*

A 2

oport.

IV

oport. sancuerunt, quaestiones eorum criminum, quae legibus, aut extra ordinem coëcentur, vbi commissa, vel inchoata sunt, vel vbi reperiuntur, qui rei perhibentur esse criminis, perfici debere. Etsi aliud forum speciale non adprobent, quam forum delicti commissi, ac deprehensionis, quis tamen afferat, forum commune domicilii ab iis reprobatum esse, vt quaestiones criminum a iudice, cui delinquens ob domicilium subiectus est, perfici non possent? Hinc sensu isto, quo D O N E L L V S *legem vn. C. vbi d. possess.* accipit, falsi committit principii petitionem, arbitratus, verba *d. l.* non facultatis, sed necessitatis esse, cum actori, tum iudici impositae, ibi agendi iudicandique, vbi aut vis facta dicitur, aut momentaria postulatur possessio, ita, vt necessitas omnem alibi agendi facultatem adimat actori, repugnante et in locum istum reuocante reo. Qua ratione is necessitatem ex verbis dictae legis elicere conatur, vt actor, recuperandae vel retinendae possessionis caussa, iudicem adeat rei sitae, atque hic controversiam decisione dirimat sua, eadem ratione propugnare opus habet, non minus reo necessitatem esse impositam, vt ne in tali caussa iurisdictioni iudicis domicilii sponte se submittat. Posterius quod sicuti D O N E L L V S negat: ita imbecillitatem prioris, quam tueritur, assertionis, quilibet facile perspiciet. In programmate, mense Ianuarii huius anni ad memoriam Ackermann renovandam a nobis proposito, obseruauimus, verbum, conuenit, quo Imperatores in *d. l. vn. C. vbi de possess.* vtuntur, quodque captat D O N E L L V S, non raro idem significare, quod verba, congruit, conductit, exprimunt. In eaque persistimus senten-

sententia, quando ad d. l. vn. prouocatur, vbi in genere
 de actionibus tractatur realibus. Iam vero, etsi legem
 istam tantum de remediis accipias possessoriis, aliquaque
 verbi, *conuenit*, praeferas significationem, non tamen sequi-
 tur, quod haec istam, quam DONELLVS iactat, inuoluat
 necessitatem, sed iusta defendimus ratione, verbo isto ni-
 hil denotari, nisi facultatem, iudici rei sitae competentem,
 ad reum, vt ipsi pareat, compellendum, quae parendi neces-
 sitas ex potestate iudici a lege data quidem fluit, sed minime
 actori necessitas imponitur, vt reum, forum domicilii de-
 clinantem, coram iudice loci, vbi vis facta, aut momentaria
 postulatur possessio, in ius vocet. Nunc vero adserere
 iuuabit, verbo, *conuenit*, absolutam indigitari necessi-
 tatem. Quo pacto plane aliam dicta l. vn. C. *vbi de posses.*
 refert sententiam, ac quidem DONELLVS est persuasus.
 Quae non est alia, quam, quod immissio in possessionem
 eiusque propugnatio non, nisi a iudice loci, vbi res est sita,
 expediri possit. Atque haec necessitas tam reo, quam
 actori et iudici incumbit. Quam interpretationem illa ipsa
 l. vn. C. *vbi de haeredit. agat.* suppeditat, a DONELLO,
 vbi de adquirenda agit possessione, adducta. Ibi enim
 expresse missio in possessionem rerum haereditiarum sepa-
 ratur, a terminanda haereditatis controvrsia, hac determi-
 natione iudici domicilii, vel loci, vbi res sitae sunt haeredi-
 tiae et possessor degit, relicta, illa vero missione in posses-
 sionem rerum haereditiarum soli iudici loci, vbi res sunt
 haereditiae, vindicata. Ac quid est clarius, si porro con-
 feras l. 2. C. d. *interdict.* qua Praefidi prouinciae in eum,

VI

qui eiusdem prouinciae non est, nequidem ex interdicto cognoscere permittitur. Pleraque interdicta sunt de possessione vel quasi. *pr. I. d. interdict.* Dum igitur, actione pro eiusmodi interdicto exercita, Praeses prouinciae cognoscere nequit, nisi reus eiusdem sit prouinciae, id est, subditus ratione domicilii, quoniam actiones ex interdictis secundum ius Romanum sunt personales, *I. i. §. 3. d. interdict.* *CIVICVS L. V. Obs. 17.* *WISSENBACH ad Pand. L. XLIII.* *Disp. 23. th. 1. HUBER Prael. ad Institut. L. IV. tit. 15. §. 7.* frustra dissentiente *SCHILTERO Ex. ad Pand. XLVII. §. 17. seqq.* consequens est, talismodi actionem regulariter adversus reum in foro domicilii instituendam, ac ab eo iudice decidendam, iudicium vero immisionis in possessionem a iudice loci, vbi res est sita, peragendum esse, idque verbis, *conuenit iudicare*, quae in *I. vn. C. vbi de possess.* habentur, insinuari. Quae vis argumenti *ZANGERVM d. except.* *P. II. C. 1. n. 320. seqq.* tantopere turbavit, vt ille, ad *d. l. 2. C. d. Interdict.* respondens, ipsem et nesciuere, quid vellet. Non sane datur melior magisque facilis conciliandi ratio, quam, si adstruamus, cognitionem in reum actionis ex interdicto pertinere regulariter ad iudicem domicilii, *d. l. 2.* executionem vero ad iudicem rei sitae. *d. l. vn. C. vbi de possess.* Neque ad stipulamur *VINNIO Sel. Quaeſt. L. I. c. 18.* qui inter possessorum momentaneum ac ordinarium distinguit, istius diiudicationem iudici rei sitae vindicans, huius tractationem vero arbitrio actoris, an forum rei sitae, an forum domicilii sequi malit, relinquens. Nam etsi iudex rei sitae vel ob delictum a turbatore commissum competens

petens sit, vel ipsi, ad pacem in re publica tuendam partes de possessione concertantes coērcere, ac vim armorum priuatam auertere incumbat: id ipsum tamen regulae, quod cognitio de actione ex interdicto ad iudicem domicilii spe-
tet, missione in possessionem, armataque eius defensione ad iudicem rei sitae pertinentibus, non derogat. Neque minus in possessorio momentaneo aliqualis caussae cognitio praecedit, antequam ad executionem deuenitur. Quod ve-
ro vſu fori omnia iudicia possessoria cum actionibus com-
parantur realibus, tam in loco rei sitae, quam in loco do-
micii instituendis, M Y N S I N G E R Cent. III. obs. 8. n. 6.
V V L T E I V S ad l. vn. C. vbi de haeredit. n. 27. seq. illud non
quidem dispositioni iuris ciuilis, sed iuri canonico eiusque
visuali interpretationi, ob can. redintegranda. caus. 3. qu. 1.
cap. 3. et vlt. X. d. for. compet. debemus.

In actionibus in rem, siue controuersiis de proprietate,
quod forum quidem speciale tribuat locus, in quo res, pro-
pter quas contenditur, constitutae sunt, l. fin. C. vbi in rem
act. exerc. deb. neque tamen forum omnium actionum com-
mune, quod praebet locus domicilii, excludatur, sed peti-
tor pro arbitrio vel ibi, vel in foro rei sitae actionem mo-
vere queat, dicere occupauimus in programmate supra no-
minato. Sed hic iterum D O N E L L V S loc. antea cit. con-
tradicit, afferens, conuentum in loco domicilii non cogi
iudicium pati, vnum tantum esse forum, scilicet locum,
vbi res sunt sitae, ibi reum conueniendum esse, ac ibi se de-
fendere debere. Primam, qua is vtitur, rationem, in verbo,
iubemus,

VIII

iubemus, quo Imperatores in d. l. fin. C. ubi in rem act. vtuntur, positam, qua legem istam in suas partes trahere conatur, iam profligauimus in dicto programmate. Nunc alteram rationem, qua sibi in primis placet, ut ceteramus, oportet. Nam praecipuum opinionis suae fundatum ponit in l. 38. d. iudiciis, ubi **LICINIVS RVFIVS** ait: *quod legatur, siquidem per personalem actionem exigetur, ibi dari debet, ubi est: nisi si dolo malo haeredis subductum fuerit. tunc enim ibi dari debet, ubi petitur. Praeterea, quod pondere, aut numero, aut mensura continetur, ibi dari debet, ubi petitur: nisi si adiectum fuerit, centum modios ex illo horreo, aut vini amphoras ex illo dolio.* Si autem per in rem actionem legatum petetur, etiam ibi peti debet, *vbi res est.* Qua lege tam aperte, ut nulla cauillatione locus cludi possit, sententiam suam probari existimat **D O NELLVS**, in differendo satis superque prolixus. Neque minus haec lex scrupulum mouit **HOTOMANNO** Obseru.
L. III. c. 7. Qui vero, quoniam bipartita non de *petendo*, sed de *soluendo* legato disputatio in lege ista occurrit, in verbis, etiam *ibi peti debet, vbi res est*, mendum latere, ac *soli* pro *peti* legendum esse, suspicatur. A qua violentia consultius quidem abstinet **VINNIVS** d. *L. I. c. 17. select. iur. quaest.* neque tamen responsio ab eo data placet, quasi in *d. l.* specialis de re legata habeatur dispositio, etsi non displiceat altera, qua ad dubium tollendum incedit, via, dum *vrget, verba, etiam ibi peti debet, vbi res est*, vim et effectum solutionis respicere, eo quod Iurisconsultus praecipue de *praestatione rei legatae* tractat. Ut sensus fit, solutionem,

IX

lutionem, siue praestationem rei legatae in loco, vbi est, exigi debere, quamuis actio in rem, qua legatum petitur, in alio domicilii loco exercita fuerit. Rursus aliam amplectitur viam H V B E R V S Praelect. ad Pandect. L. V. tit. 1. §. 50. qui in vocula, *etiam*, refugium quaerit, arbitratus, ea potestatem in alio loco, vbi res est, agendi implicari, pariter, ac in l. fin. C. *vbi in rem act. exerc. deb.* particulae, *sed et,* eandem implicant potestatem. Quemadmodum vero D O NELL V S vocem, *etiam*, ad verba, quae statim sequuntur, *ibi peti debet*, pertinere, maiori pene afferit probabilitate, inde sequentem eliciens sententiam; *non solum rem legatam in loco, vbi est, praestandam, verum etiam actionem in rem, qua illa petitur, in eodem loco mouendam esse*: ita his opinionibus omnibus praeualet ea, quae pro re subiecta in d. l. vocem, *debet*, eodem, quo vocem, *potest*, accipit sensu; quam tuentur C V I A C I V S Lib. XIII. Obs. 17. W I SSEN BACH Disp. XVI. ad L. V. tit. 1. Pand. th. 22. M EIER C. I. A. L. XXXIV. tit. 2. §. 3. SCHILTER Ex. XIII. §. 31. NOODT ad Pand. L. V. tit. 1. p. m. 125. quaque ratione plura, quae nostram disciplinam, aliarum intuitu legum, premunt dubia, de quibns infra dicendi locus erit, diluuntur. Non enim raro verbum, *debet*, loco verbi, *potest*, in legibus usurpatum. Sic in l. 2. §. 31. *ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.* quaedam talia esse dicuntur, ut statim suo facto noceant, quaedam talia, ut in praesentiarum quidem nihil noceant, in futurum autem *nocere debeant*. Quum hic sermo sit de iis, quae in posterum praesumuntur nocitura, apparel, quod verba, *nocere debeant*, pro *nocere possint*,

B

X

possint, adhibeantur Ait VLPIANVS in l. 1. pr. d. haered. inst: Qui testatur, ab haeredis institutione plerumque debet initium facere testamenti: licet etiam ab exhaeredatione, quam nominatim facit. Quoniam ab exhaeredatione nominatim facta initium testamenti facere licet, sane verbum, debet, quo ICtus in antecedentibus vtitur, non imponit necessitatem, vt ab haeredis institutione initium testamenti fiat, adeoque eandem, quam verba, potest, solet, significationem habet. Eadem significatio occurrit in l. 8. §. 3. d. legat. II. vbi P A V L V S dicit: Si inter duos dubitetur, de eodem legato, cui potius dari oportet: vt puta, si Titio relictum est, et duo eiusdem nominis amici testatoris veniant et legatum petant et haeres soluere paratus sit, deinde ambo defendere haeredem parati sint: eligere debere haeredem, cui soluat, vt ab eo defendatur. Quia haeredi volenti et soluere parato potestas vni, prae reliquis legatum potentibus parique iuris colore vsis, gratificandi datur, oppido patet, verba, eligere debere haeredem, cui soluat, non alio usurpari sensu, ac si dixerit ICtus: eligere posse haeredem; cui soluat. In l. 3. C. d. pignor. rescribunt SEVERVS et ANTONIVS: Creditores, qui, non reddita sibi pecunia, conventionis legem, ingressi possessionem, exercent, vim quidem facere non videntur: attamen auctoritate Praesidis possessionem adipisci debent. Iam, si quis secundum legem conventionis propria auctoritate pignus capiens vim non facit, sed licite agit, hinc iure permittente possessionem est adeptus, certo nulla ipsum premit necessitas, vt possessionem per iudicem adipiscatur, sed tantum melius ac tutius agit,

non

non negligens iudicis auctoritatem, adeoque verba, *posseſſionem adipisci debent*, idem, quod, *adipisci poſſunt*, denotant. Quin etiam verbum, *debet*, pro eo interdum ponitur, quod est *consilii*, vti §. 5. in fin. I. quod cum eo qui in al. pot. §. 3. I. d. pupill. ſubſtit. C A I V S Inſtit. L. II. t. 4. §. 2. ibique SCHVLTING verb. *pupillaris ſubſtitutio ita ſecreta eſſe debet*. Id quod maxime ad rem facit praefen-tem, ſcilicet, non *necessitatis*, ſed *consilii eſſe*, vt per in rem actionem legatum ibi petatur, vbi res eſt. Quo iectu vni-versa D O N E L L I concidit philosophy. Et ſicut is legi-bus, quas in auxilium vocat, non iuuatur: ita multo mi-nus rationes, quas fingit, ipſi patrocinantur. Etenim in-commoda, quae auctorem ſequi poſſunt, ſi actionem in rem in alio, quam rei ſitae loco exerceat, is ſibi imputare de-bet, quae propterea ſentire non censetur. l. 203. d. R. I. Si que contingat, reum aliquando maiores in foro domicili-i, quam in foro rei ſitae, ſentire processus molestias, id quidem ad fata pertinet litium, quae non minus in actio-nibus in personam metuenda ſunt, eo magis negligenda, quo magis ex aduerso aliis, quae conuentus in-loco do-micili habit, pensantur commodis. Sicque porro fallit falliturque D O N E L L V S, qui a regula, quam propugna-mus, excipit haereditatis petitionem, quam nunquam alibi institui poſſe dicit, quam vbi poſſessor domicilium habet. Miramurque, H V B E R V M prael. ad Pand. L. V. tit. I. §. 49. eandem defendere ſententiam. Utique in l. vn. C. vbi de haereditat. agat. Imperatores VALERIANVS et GALLIENVS A. A. Meſſalae, vel potius, ſicuti C V I A-

XII

civs L. V. Obseru. c. 19. ex veteribus libris didicit, *Messiae* responderunt: *Illic, ubi res haereditarias esse proponis, haeredes in possessionem rerum haereditiarum mitti postulandum est.* *Vbi autem domicilium habet, qui conuenit, vel, si ibi, ubi res haereditariae sitae sunt, degit, haereditatis erit controuersia terminanda.* Inde vis argumenti, a DONELLO ducti eo abit: quia haereditatis controuersia in loco, quo res haereditariae sunt sitae, terminanda est, quando haeres ibidem degit, siue domicilium habet, ergo, si domicilium ibidem non habet, haereditas in loco, quo sitae sunt res haereditariae, peti nequit. Atque sic in illatione a contrario legis sensu se fundat. Quenadmodum vero talis modi illatio regulariter non procedit, quando lex propositam facti speciem decidit, quod in d. l. vn. C. *vbi de haeredit.* factum esse, rescripti Caesarei verba docent: ita de vera istius legis sententia optime constat, si iungamus l. 2. C. d. *interdict.* quae eandem inscriptionem, ubi nimirum, ut diximus, loco *Messalae* in d. l. vn. C. *vbi de haeredit.* legendum est *Messiae*, nec non subscriptionem habet. Ita enim appareat, talem Imperatoribus facti speciem fuisse oblatam, qua quis actione personali ex interdicto coram Praefide prouinciae, in qua haereditas sita, contra reum, qui non erat eiusdem prouinciae, ad consequendam haereditatis possessionem egit. Quia de cauissa in d. l. vn. C. *vbi de haeredit.* non poterat non immisso in possessionem rerum haereditiarum a decisione propositae actionis separari; hac, ad exemplum aliarum actionum personalium, ad iudicem domicilii, siue ibi res haereditariae sitae, siue non, remissa,
ipfa

XIII

ipsa vero immissione in possessionem iudici haereditatis sitae relicta. Nam ad iudicium petitorum haereditatis petitio-
nis legem istam non pertinere, satis superque euincunt l. 50.
d. iudic. et l. vn. C. vbi fideicommiss. pet. oport. Quas leges
de fideicommissso vniuersali accipere oportet, veluti com-
probat l. 52. §. 3. *d. iudiciis.* In qua lege, quae ex **V L P I A N I**
libro 6. fideicommissorum desumta est, ICtus separatim agit
de fideicommissso particulari, vbi antea de fideicommissso
vniuersali in *d. l. 50. Eod.* respondit, quae ex eodem ipsius
libro 6. fideicommissorum est excerpta. Quumque in hac
lege **V L P I A N V S** ad constitutiones et rescripta prouocet
Imperatorum, quibus cauetur, tam in loco, vbi maior pars
haereditatis est, quam in domicilio haeredis fideicommissum
peti posse, rationis est, vt *dictae l. vn. C. vbi fideicomm. pet.*
oport. verba : fideicommissum ibi petendum esse, vbi haere-
ditas relicta est, dubitari non oportet ; de fideicommissso ac-
*cipiamus vniuersali, de quo illa recte accipit **H O T O M A N-***
N V S d. L. III. Obseru. c. 7. Iam vbi fideicommissaria hae-
reditatis petitio in loco rei sitae institui potest, quis de di-
recta haereditatis petitione statuat secus? vid. *l. 2. d. fideic.*
haered. petit. eamque a regula in *l. fin. C. vbi in rem actio.*
tradita eximat? Lex, quae aduersari videtur, 29. §. *vlt. d.*
inoffic. testam. ibi: *in ea prouincia de inofficio testamento*
agi oportet, in qua scripti haeredes domicilium habent. ea-
dem, quam supra dedimus, tollitur responsione, forum do-
micii inibi quidem fundatum, neque tamen forum rei sitae
exclusum esse, verbaque, *debet, oportet, eodem, quo verbum,*
poteſt, venire sensu. Qua ratione quoque dubio ex *d. l. vn. C.*

B 3

vbi

XIV

vbi de haered. agat. petito, etsi in eadem de dupli iudicio, tam petitorio, quam possessorio, agi existimes, ac participalia nomina, qualia in *d. l.* occurruunt, eam habere soleant vim, vt per *oportet* conuertantur, fit satis. Differentia inter actionem in rem de rebus singulis, et haereditatis petitio-
nem, quam **D****O****N****E****L****L****V****S** vrget, nullius est momenti.
Quamuis enim, qui haereditatis petitione res persequitur singulas haereditarias, propter haereditatem ad se pertinen-
tem experiatur, et, vt ipse haeres declaretur, intendat, ius
haereditatis vero res sit incorporalis, §. *vn.* *I.* *d. reb. corpor.*
et incorporal. ita, vt in haereditatis petitionem veniant res
singulae haereditariae per consequentiam, quia in vniuersi-
tate continentur, *l. 18.* §. *fin.* *l. 19.* *l. 20.* *pr. d. haered. petit.*
ius haereditatis vero, tanquam res incorporalis, nusquam
fit, nec locum habeat, in quo consistat, sed intellectu tan-
tum percipiatur; at alia sit ratio rei singularis vindicationis,
qua manum quasi rei controuersae, in certo loco consti-
tutae, imponimus, *l. 6. d. R. V:* verum tamen ad hoc, vt
haereditatis petitio locum habeat, non minus a parte rei,
vt pro haerede, vel possessore possideat, ac a parte actoris,
vt iure gaudeat haereditario, requiritur. *l. 9. l. 10. seqq. d. haer-*
red. petit. **V**t igitur haereditatis petitione tenetur tam,
qui rem haereditariam, licet minimam, quam, qui ius pro
haerede vel possessore possidet, *d. l. 9. l. 10. pr.* *vbi rei haer-*
editariae perinde, ac rei singulari in vindicationis iudicio,
manum possumus imponere, nec non possessor, ius exer-
cens haereditarium, illud in certo loco quasi possidet: ita
inter eiusmodi possessorem, et eum, qui rei singularis vin-
dicatione

dicatione tenetur, ratione fori, quo contra eum agitur, diversitas rationis non intercedit. Quam si in eo, quod ius haereditarium res sit incorporalis, quaesiuersis, sequeretur, nullam actionem confessoriam, quia seruitus, ex qua descendit, quamque persequitur, res est incorporalis, in loco rei sitae institui posse: quod absolum est. Atque de constanti fori vsu, secundum quem petitori haereditatis arbitrium permittitur, vel in loco domicilii, vel in loco rei sitae experiundi, testes habemus **V V L T E I V M ad l. vn. C. vbi de haeredit. n. 21.** quamvis dissentientibus adstipuletur, porro **D N. DE BERGER P. I. Resp. 202. quu. 5. et Oecon. iur. L. II. tit. 4. §. 54. not. 12.** vbi satius esse ait, ad facilitandam executionem, si in loco sitae haereditatis agatur, **M A R T I N I Analect. ad Proc. tit. XI. §. 2. n. 222. A LEYSER ad Pand. Spec. XCIV. medit. 1.** Stat igitur sententia, omnes actiones reales, ac quae cum illis in foro Germanico comparantur remedia possessoria, tam in loco domicilii, quam coram iudice rei sitae moueri posse, neque posterius hoc forum cessare, si possessor alibi degat, nec in loco isto inveniatur. Nam sicuti **l. fin. C. vbi in rem actio.** et **l. 38 d. iudic.** non distinguunt, an reus in loco, quo res controversa constituta est, reperiatur, nec ne: ita per **l. 2. C. d. tit. vbi in rem actio.** abunde probatur, posse eum, qui alibi domicilium habet, actione reali in loco, vbi res est, in ius vocari; quia auctor nominatus, quamvis absens sit, nec in eadem ciuitate vel agro degat, vel in alia sit prouincia, coram iudice loci, vbi res sita, comparere atque actoris intentionem excipere compellitur. **d. l. 2. M E V I V S P. VI.**

Decis.

XVI

Decis. 346. STRVV Ex. ad Pand. IX. th. 49. Sicque confutantur CVIACIVS ad tit. C. vbi d. haered. ag. oport. CASTRENSIS et SICHARDVS ad l. 3. C. vbi in rem actio. ZOESIVS ad Pand. tit. d. iudic. n. 78. qui putant, non posse procedere actorem in rem contra possessorem in loco rei sitae, quam, si possessor ibi degat, aut inueniatur. Neque minus frustra est BARBOSA ad l. 19. §. 2. d. iud. et tract. d. for. rei sit. p. 301. n. 6. qui idem de iure afferit Canonico. Etsi enim hoc iure quis forum contractus non sortiatur, nisi ibi reperiatur, c. i. §. 3. X. d. for. compet. in isto. non tamen a foro contractus ad forum rei sitae procedit argumentatio. Sed sufficit, Pontificem id, quod de foro contractus statuerat, non etiam de foro statuisse rei sitae.

Nunc ad rem deueniamus, quae huic scriptioni locum dedit. Instat dies 12. Ian. quo illustrium BORNIORVM solemni oratione renouanda est memoria. Quam orationem, ob stipendium sibi beneuole collatum, suauissimi collegae filius, HENRICVS ANDREAS HOMMEL, Lipsiensis, dicto die 12. in nostro auditorio, *de donatione omnium bonorum*, agens, habiturus est. Ut igitur RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, Proceres utriusque Reipublicae grauissimi, ac Generosissimi nobilissimique Academiae ciues actum istum praesentia sua exornare ne dedignantur, qua decet, humanitatis mollitudine rogamus. Lipsiae d. 6. Jun. ann. CCCCCLVI.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

Diese Seite ist ein Teil eines handschriftlichen Dokuments, wahrscheinlich einer Widmung oder eines Dankes. Die handschriftliche Fassung ist über dem gedruckten Titel angebracht und beginnt mit den Worten "Diese Seite ist ein Teil eines handschriftlichen Dokuments, wahrscheinlich einer Widmung oder eines Dankes".